



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio III. Vtrum supposita præcisione entis simpliciter transcendentia
illius tollat univocationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

- 66 **A**D locum Aristotelis respondeo admittendo locum Philosophi; quia maxime confirmat nostram sententiam, nam si ipse ait ibi esse analogiam, & ea esse analogia, quæcunque ita se habent, ut unum sit ad aliud, in ratione entis præcisa simpliciter nulla dabitur analogia, quia in tali ratione non datur aliud, & aliud, nec plura, quæ ita sunt, ut unum sit propter aliud, quia in ente ut sic præcise solum est unica ratio essendi indivisibilis sine ulla pluralitate. E contra vero in inferioribus entis dantur plura, quæ ita se habent, ut unum sit ad aliud, ac proinde datur aliud ad aliud, creatura nimirum ad Deum, accedens ad substantiam; cum autem hoc totum sit ratione differentiarum, dabitur in illis analogia, quæ vocatur physice inæqualitatis, non autem analogia metaphysica, de qua hic loquimur: ergo in ratione entis potius datur univocatio, quam analogia metaphysica.
- 67 Ad secundum respondeo distinguendo maiorem; si non adæquat virtutem causæ, quam causa habet ex parte differentie, & nihilominus effectus, & causa conveniunt in una indivisibili ratione superiori participando illam ex parte sui sine aliqua inæqualitate, nego; quod contingit in nostro casu si participant cum inæqualitate, concedo ex parte superioris, quo nullo modo evenit in ente respectu Dei, & creaturarum.
- 68 Ad tertium distinguo, ratio entis præcisa ab omni, quod est proprium Dei, & à creaturis nego; ipsa ratio entis adæquate & realiter sumpta secundum quod adæquate est Deus ratione differentie increate concedo; sed hoc non est contra nos, quia solum loquimur de ratione præcisa entis.
- 69 Ad quartum eodem modo respondeo, & addo; potius hæc duo argumenta probare illam rationem entis non esse præcisam, quam supposita præcissione, non esse univocam; unde negamus ens ut sic, quatenus ens est simpliciter præcisum sub illa formalitate adhuc quatenus ex parte sua descendit ad creaturam esse ens per participationem, & ut descendit ad Deum, esse ens per essentiam; nam licet creatura sit ens participatum, & Deus sit ens per essentiam, & imparticipatum ratione propriarum differentiarum, ens autem commune utrique sicut præcendit ab utroque, & abstrahit à differentiis utriusque, ita abstrahit ab ente per essentiam, & ab ente per participationem, unde non est unum, nec aliud, sed unum commune illis.
- 70 Ad quintum respondeo, concedendo maiorem, & distinguendo minorem; ens non ponitur cum ultima differentia sine intermedijs, concedo; v. g. homo non est ens rationale præcise, sed potius ens per se corporeum, vivens, sensibile, rationale, quia contra naturam est transitus de termino extremo ad extremum sine medio; ens non ponitur cum omnibus differentiis (ut in Logica late dictum est) nego.
- 71 Ad ultimum respondeo negando minorem; ad probationem illius nego absolute illam maiorem, quia genus non solum debet esse univocum, sed etiam debet esse extra rationem differentiarum, ut patet ex dictis latissime in Logica.



QVÆSTIO III.

Utrum supposita præcissione entis simpliciter transcendentia illius tollat univocationem?

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponitur.

PRIMA sententia est aliquorum Thomistarum asserentium, transcendentiam entis tollere univocationem illius, & causare analogiam in ipso respectu inferiorum: hanc sententiam amplectitur P. Hurtado in *Logica*, disp. 9. sect. 4. subsect. 5. qui antequam hanc sententiam probet, ut melius eam propugnet, & oppugnet adversariam, asserit inter rationes transcendentis & non transcendentis dari hoc maximum discrimen, videlicet quod rationes non transcendentis habeant eandem perfectionem essentialiam, quando abstrahuntur, ac quando contrahuntur: v. g. animal habet in homine totam perfectionem essentialiam, quam habet pro ut abstractam, quia licet in homine coniungatur rationalitati; cum tamen rationalitas non imbibat in se animalitatem, sit ut tantum sit perfectio accidentaliter metaphysice loquendo respectu animalis, & per consequens idem animal formaliter sine aliqua dissimilitudine, & inæqualitate essentiali est in omni statu tam abstractionis, quam contractionis, ita ut idem formalissime sit in homine, & in equo sine aliqua dissimilitudine, aut inæqualitate essentiali; sicut eadem materia prima est in homine, & in cadavere; sine eo quod in illo habeat maiorem perfectionem essentialiam, ac in hoc. Secus vero asserit Hurtado contingere in transcendentibus, quorum conceptus communis quidditativus, & essentialiter sit perfectior in suis inferioribus ratione transcendentie, quia imbibitur essentialiter in differentiis eorum, quam si non esset in illis; atque ideo cum non sint duo conceptus, entis conceptus, & conceptus substantie, sit ut cum substantia sit perfectior accidenti quidditative, & essentialiter, ipsum etiam ens contractum in substantia sit perfectius quidditative, & essentialiter se ipso, pro ut contractum in accidenti; unde ipsum ens præcisum est æquale ipsum autem formalissime contractum est inæquale sibi essentialiter, & quidditative; hæc sententia probatur sic.

Primo, quia analogia sunt quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen nec omnino eadem, nec omnino diversa, sed partim eadem, partim diversa; sed transcendentia efficit, ut ratio significata per nomen sit partim eadem, partim diversa: ergo transcendentia causat analogiam. Minor probatur, quia ille conceptus transcendens, ut abstractus est omnino idem cum ipso conceptu ut contracto; sed pro ut abstractus est idem, & ipse pro ut contractus est diversus, cum sit de ultimo, & intrinseco conceptus substantie, & accidentis ratione transcendentie; & accedens & substantia sunt diversa: ergo

Quæst. II. Vtrum Transcendentia, &c. 105

ergo transcendentia efficit ut ratio significata per nomen habeat identitatem, & diversitatem.

74 Secundo Ens quatenus includitur in suis inferioribus non distinguitur ab illis, sed est idem formalissime cum ipsis, quia substantia formaliter est ens, atque illa inferiora dicunt formaliter diversitatem, & inæqualitatem: ergo ens dicit diversitatem & inæqualitatem; sed propterea abstractum est omnino idem, & æquale: ergo conceptus transcendens ex vi transcendentis est partim idem, & partim diversus.

75 Confirmatur; si animal includeretur in ultimis differentiis formaliter & essentialiter, ex se haberet unitatem, & in differentiis haberet diversitatem: ergo ratione transcendentis esset analogum.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur.

76 Conclusio: Ens licet transcendat ultimas differentias rerum, ex eo quod sit simpliciter præcisum non est analogum, sed univocum; hæc est communior sententia inter Neotericos, probatur

77 Primo, quia analogia sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum nomen significata est partim eadem, & partim diversa; sed rationi entis ut sic præcisæ, etiam si sit transcendens, non convenit hæc definitio: ergo non est analogia. Probatur minor: Ratio entis ut sic præcisæ est omnino eadem, & una simpliciter; sed rationi, quæ est omnino eadem, non potest convenire definitio analogorum: ergo rationi entis ut sic præcisæ non convenit definitio analogorum. Maior supponitur ut vera ab Hurtado, & ab Adversariis; probatur Minor: ideo animal non convenit definitio analogorum, quia quatenus præcisum, & ut significatur per hoc nomen est omnino idem, sed ratio entis, ut sic propterea præcisæ, & significata per hoc nomen, & conceptum formalem illi respondentem est omnino eadem sine diversitate: ergo illi non convenit definitio analogorum.

78 Vergetur, quia transcendentia non tollit præcisionem, ut supponitur; sed præcisio tollit ab ente omnem differentiam, distinctionem, & inæqualitatem, ac proinde causat unitatem simpliciter: ergo transcendentia non tollit univocationem ab ente, nec causat analogiam in ipso: maior ex ipso titulo quæstionis patet. Minor est certa ex late dictis *quæstione superiori*, & etiam quia quando aliqua ratio tollit causam formalem alicuius effectus, tollit etiam effectum formalem talis causæ, ut v. g. qui tollit albedinem, tollit album, & qui auferit animam, destruit animatum, ex eo quod forma est de essentia effectus formalis, & ablata essentia, destruitur id, cuius est essentia; sed præcisio simpliciter tollit ab ente omnem differentiam quæ est causa formalis divisionis, inæqualitatis, & diversitatis, ut late quæstione superiori probavimus, ratione prima pro nostra conclusione facta: ergo præcisio simpliciter tollit ab ente omnem divisionem, omnem inæqualitatem, omnem diversitatem, quæ sunt effectus formales differentiarum: sed ablata divisione ab ente manet ens indivisum, & ens indi-

R. P. Ideph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

visum est unum simpliciter, & ablata inæqualitate manet æquale, & ablata diversitate manet univocum: ergo ratione præcisionis simpliciter manet ens unum, idem, & æquale simpliciter: ergo univocum, quia univocum est, cuius nomen est unum, & ratio significata per nomen est una, eadem, æqualis simpliciter sine ulla diversitate.

Vergetur, quia vel ratio entis abstrahitur etiam si sit transcendens secundum quod in illa conveniunt inferiora, & non ut disconveniunt illa; sic autem conceptus ille erit unus omnino idem, sicut conceptus animalis, quia tunc representatur ratio conveniendi sine ulla disconvenientia, ac proinde erit conceptus univocus, sicut est conceptus animalis, vel illa ratio abstrahitur secundum quod in illa differunt, & non conveniunt inferiora, & hoc præterquam quod est impossibile, quia à differentiis, ut differentiæ sunt, nihil abstrahitur, si sumantur quatenus quoad explicitum differunt; unde à rationali, & irrationali quoad hos conceptus nihil potest abstrahi; & ratio est, quia totum fundamentum abstractionis est convenientia; sed differentiæ quoad explicitum minime conveniunt, sed differunt: ergo ab illis sic sumptis quoad explicitum nihil potest præscindi, neque abstrahi, sed demus hoc, sic autem ratio illa esset omnino diversa, & sic nec esset univoca, nec analogia; unde non ad rem; vel abstrahitur ratio in qua conveniunt, & differunt formaliter simul, quod primo repugnat in sententia Adversariorum, negantium posse à nobis concipi duas rationes dissimiles eodem actu; secundo repugnat, quia ille conceptus non esset simpliciter præcisus à differentiis, quia in illo conceptu cognoscerentur rationes, per quas differunt: ergo cognoscerentur differentiæ; sed conceptus, in quo cognoscuntur differentiæ non est præcisus à differentiis; ergo si ille conceptus cognoscitur cum differentiis, non præscinditur ab illis; sed ut supponitur in titulo quæstionis, ratio entis est simpliciter præcisæ ab omni differentia: ergo ita est una, & eadem simpliciter, ut nullam habeat diversitatem, & inæqualitatem: ergo est univoca, & non analogia.

Respondet Hurtado, quod analogia non solum attenditur secundum illam rationem præcisæ sumptam, sed etiam secundum eandem, ut contractam, atque ideo cum contracta sit diversa, sit ut nomen ens sit analogum.

Sed contra primo, quia illud est analogum formaliter quod ex vi eiusdem nominis significat conceptum obiectivum, partim eundem, & partim diversum; sed ens ex vi eiusdem nominis non significat conceptum obiectivum partim eundem, & partim diversum: ergo ens non est analogum. Maior est certa, & conceditur ab Adversariis, & ideo probat Hurtado dependentiam non causare analogiam, quia diversitas causata per dependentiam, & identitas conceptus communis non importatur ex vi eiusdem nominis: probatur minor; quia in tantum ens est partim idem, & partim diversum secundum Adversarios, in quantum est abstractum, & in quantum est contractum: sed ens ut abstractum, & ut contractum non significatur ex vi eiusdem nominis, & conceptus formalis illi respondentis: ergo ens ex vi eiusdem nominis, & conceptus non significatur partim idem, & partim diversum. Maior est solutio Adversariorum, probatur minor: Ens tan-

Q. 105

tum vt abstractum significatur ex vi huius nominis, ens, præcise, sed vt contractum significatur per alia nomina, scilicet substantia & accidens: ergo ens vt abstractum, & vt contractum non significatur ex vi eiusdem nominis. Maior est evidens, & concedunt illam adversarij, & ratio eius est manifesta; quia ens præcise sumptum solum repræsentat non repugnantiam ad existendum, non determinando, cuius sit hæc non repugnantia, videlicet an sit entis per se, aut entis in alio; sed hoc est significare conceptum obiectivum solum vt præcisum: ergo per hoc nomen, ens, significatur obiectum simpliciter præcisum ab inferioribus. Deinde quia si ens in quantum significatur, ex vi huius nominis, non significaret rationem entis præcise: ergo significaret rationem entis, vt coniunctam cum differentijs: ergo significaret illam vt diversam, quia diversitas provenit illi ex contractione, vt contrarij fatentur in sua solutione; sed ex vi nominis, ens, non significatur diversitas, sed potius unitas & diversitas significatur per nomen substantia vel accidens: ergo ex vi nominis non significatur ens contractum, sed potius abstractum ab omni differentia & ab omni diversitate; nam ens est diversum secundum Hurt. in quantum est substantia & accidens: ergo ens vt contractum significatur per hæc nomina substantia & accidens, & non per nomen ens, sed hæc nomina substantia, accidens non sunt idem nomen sed diversa: ergo conceptus entis vt partim idem, & partim diversus non significatur ex vi eiusdem nominis; ergo quatenus significatur ex vi eiusdem nominis ens, significatur provt omnino idem: ergo quatenus significatur ex vi huius nominis ens non est analogum sed univocum.

82 Confirmatur, ideo secundum Adversarios qui admittunt præcisionem simpliciter entis, ens est simpliciter idem & unum quia ex vi huius conceptus, & nominis ens, nec implicite nec explicite & confuse significantur inferiora entis, & ideo qui negant conceptum præcisum asserunt saltem confuse importare inferiora entis ex vi huius conceptus & nominis, quia ens est partim diversum, sed diversitas entis provenit illi formaliter ex vi suorum inferiorum: ergo ex vi huius nominis, ens, nullo modo importatur diversitas: ergo importatur omnimoda identitas: ergo si conceptus entis est simpliciter præcisus ex vi nominis & conceptus præscindens non obstante transcendentia est omnino idem, ergo univocum: contra secundo; si hæc solutio subsisteret nulum daretur nomen univocum, sed hoc est falsum in omnium sententia, ergo est falsa, & non subsistit solutio, sed probatur antecedens: res significata per modum univocum vt abstracta est eadem, & vt contracta est diversa. sed ideo secundum adversarios conceptus transcendens est analogus, quia vt abstractus est omnino idem, & vt contractus est diversus: ergo res significata per nomen univocum est analogus.

Respondet Hurt. rem significatam per nomen univocum, non esse essentialiter diversam, quia non includitur in ultimis differentijs, rem vero significatam per nomen transcendens esse essentialiter diversam quia includitur in ultimis differentijs rerum.

83 Sed contra, res significata per nomen transcendens non est essentialiter diversa quatenus significatur ex vi illius nominis, ergo nulla est so-

lutio. Probatur antecedens, vt aliquid sit essentialiter diversum ab alio, debet includere in suo conceptu essentiali rationem diversificantem, sed res significata per nomen transcendens, scilicet per nomen ens, non includit in suo conceptu essentiali rationem diversificantem, supposito quod talis res transcendens præscindatur simpliciter ab omnibus differentijs, à quibus solum causatur diversitas, & sine quibus nulla diversitas datur, ergo res significata per nomen transcendens non est essentialiter diversa: maior est evidens, ideo enim homo est essentialiter diversus ab equo, quia includit in suo conceptu essentiali rationem diversificantem, scilicet rationalitatem, & ideo in sententia Hurt. substantia completa vt sic non est diversa in Angelo & in homine, quia non includit in suo conceptu essentiali rationem diversificantem, & ratio huius est evidens, quia omne illud quod distinguit eo modo quo distinguit, constituit rem & per consequens includitur in conceptu illius: minor etiam est evidens, quia ratio diversificans ens est perfectitas, sed ens non includit in suo conceptu essentiali rationem diversificantem: maior est sententia Hurt. vt constat ex explicatione posita in principio questionis, minor est certa, quia si ens includeret essentialiter in suo conceptu perfectitatem, non posset præscindi à perfectitate, sed ens præscinditur simpliciter à perfectitate, ergo non includit illam in suo conceptu essentiali. Maior est evidens, quia quando aliquid includit in suo conceptu essentiali aliquam rationem non potest præscindi ab illa, vt postea late probabitur, & ideo homo non potest præscindi ab animali, quia includit in suo conceptu essentiali animal, minor admittitur ab Hurtado & ab alijs adversarijs; consequentia legitime inferitur.

Dices quod ens licet non includat in suo conceptu essentiali perfectitatem, nihilominus includitur in ipsa perfectitate, essentialiter quod sufficit, vt diversificetur essentialiter ens.

84 Sed contra etiam si aliquid concludatur essentialiter in aliquo conceptu essentialiter diverso, si illum non includat in se, nec diversificatur, nec distinguitur: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens, etiam si ens transcendat Angelum Gabrielem, & Cherubinum non diversificatur in illis, ac proinde non est Analogum respectu illorum, & etiam si animal includatur essentialiter in homine, & in equo non est essentialiter diversum neque essentialiter distinctum, quia in se non includit diversa illa & distincta; ergo etiam si aliquid includatur essentialiter in aliquo conceptu essentialiter diverso, & distincto non distinguitur, nec diversificabitur essentialiter: antecedens est certum, quia ens transcendit omnia entia, & omnes differentias entium, sed Gabriel, & Cherubinus Michael sunt vera entia realia, ergo transcendit illos, & nihilominus ens est unum, & idem æquale respectu illorum sine vlla diversitate, alias aliquod prædicatum superius esset analogum respectu ipsorum, quod est falsissimum, quia semper unum analogum est per attributionem ad aliud, & dependet ab illo, sed Gabriel neque dependet à Michaele, neque est per attributionem ad illum: ergo ens, neque est analogum, neque diversum respectu illorum etiam si transcendat illos.

85 Et etiam idem antecedens est evidens, quantum ad secundam partem, quia homo essentialiter includit

Quæst. III. Vtrum Transcendentia, &c. 107

includit animal, sed animal in homine non diversificatur essentialiter ab animal, quod est in equo, alias esset analogum; ergo etiam si aliquis conceptus includatur essentialiter in conceptu essentialiter rerum diversarum, si ipse conceptus non includat essentialiter in se rationes diversificantes, non erit diversus conceptus, sed ens, etiam si includatur essentialiter in conceptu essentialiter perfectitatis, & inalicitatis non includit in suo conceptu essentialiter perfectitatem, & inalicitatem; ergo non diversificatur à perfectitate, & inalicitate.

87 Ratio à priori est, quia id quod diversificatur per aliquam rationem constituitur formaliter per illam rationem in esse diversi, sed ens non potest constitui in esse diversi per inferiora in quibus existit formaliter, ergo ex eo quod includatur ens in inferioribus differentiis non constituitur formaliter in esse diversi per differentias, in quibus includitur, & quas constituit essentialiter. Maior est evidens, quia id quod diversificatur est concretum diversum, sed concretum diversum constituitur formaliter in esse diversi per diversificantem formalitatem, aut per diversitatem sicut album per albedinem, & nigrum per nigredinem, & rationale per rationalitatem, quia formale concreti est id, quod expresse significatur in tali concreto, sed formale concreti diversi est diversitas, & formale concreti constituit formaliter concretum ipsum, ergo diversitas constituit concretum diversum formaliter, sed ens est diversum, & diversificatur per differentias in quibus includitur, ergo constituitur per illas formaliter in esse diversi. Minor illa prima sic demonstratur, quia nulla forma vel quasi forma constituitur à subiecto in quo est, & quod formaliter constituit in aliquo esse formaliter: sed ens est forma vel quasi forma constitutiva differentiarum in esse à parte rei distincto à chymera, & differentie sunt subiectum vel quasi subiectum talis constitutionis: ergo ens non constituitur formaliter in esse diversi per differentias, in quibus includitur, & quas constituit per modum formæ inesse existentium. Maior est certa, apud Adversarios, & ideo materia prima non constituit inesse materialis vel materiale, & corpus in esse corporale animam rationalem, quia anima est forma materiæ & corporis, & materia seu corpus est subiectum talis formæ; item substantia non constituit accidens, v.g. paries albedinem in esse parietatis, ut ita loquar, & nihilominus anima rationalis constituit materiam primam inesse animate, & albedo constituit parietatem in esse albi: ergo nulla forma, vel quasi forma constituitur formaliter à materia, vel subiecto in quo est, licet contra forma vel quasi forma constituit formaliter subiectum in quo est: unde substantia constituit naturam formaliter inesse subsistentis, natura autem non constituit formaliter subsistentiam ipsam, quia subsistentia est quasi forma, & natura est quasi materia & subiectum talis subsistentiæ. Minor illa sic probatur, quia omne prædicatum superius & commune essentialiter est forma vel quasi forma metaphysica inferioris, quod constituitur, ideo enim substantia est forma vel quasi forma viventis, quia est prædicatum commune essentialiter respectu illius, & ideo homo est forma vel quasi forma Petri, quia est prædicatum commune metaphysicum Petri: unde prædicatur de inferioribus quæ constitunt: sed omne id de quo aliquid prædicatur, est subie-

R. P. Ildeph. de Peña, Schol. Thom.

ctum prædicati: ergo prædicatum est forma illius, sed omne prædicatum commune, essentialiter prædicatur de inferioribus quæ constituit, & in quibus includitur: ergo omne prædicatum commune essentialiter est forma vel quasi forma metaphysica inferiorum, in quibus includitur & quæ constituit essentialiter.

Sed ens est prædicatum communissimum; & essentialissimum, ut ita dicam omnium differentiarum, in quibus includitur & quas constituit essentialiter, atque ideo prædicatur essentialiter de illis: ergo evidenter sequitur ens esse formam metaphysicam, & differentias quas constituit inferiores & in quibus includitur ratione talis inclusionis & constitutionis esse subiectum illius.

Confirmatur, ideo substantia ut sic completa non constituitur formaliter inesse diversi, per Angelum & hominem, in quibus includitur essentialiter etiam si homo & Angelus sint diversi, quia substantia completa ratione inclusionis & constitutionis illorum est forma vel quasi forma metaphysica hominis & Angeli, & ipsi sunt subiectum vel quasi subiectum de quo prædicatur substantia formaliter, & quod constituit illa non minus ac ens constituit differentias; nam licet substantia completa ut sic non includatur in differentiis Angeli & hominis, sicut ens, nihilominus tamen includitur formaliter & essentialiter in Angelo & homine, & ideo prædicatur formaliter & essentialiter de homine & Angelo, sicut prædicatur ens de differentiis, hominis & Angeli.

Sed ens est forma vel quasi forma metaphysica differentiarum ratione inclusionis in illis & constitutionis earundem: ergo tantum abest quod ens ratione transcendentie inclusionis in differentiis & constitutionis earundem diversificetur ab ipsis, & constituatur in esse diversi per illas, quin potius ratione talis transcendentie & inclusionis in ipsis, nullo modo possit diversificari & constitui in esse diversi per illas, quia, ut iam dixi, ens est prædicatum commune transcendens inclusum in differentiis, est forma vel quasi forma metaphysica earum formaliter intrinsece & essentialiter inclusa in illis.

Contra tertio, nam is analogie modus, quem confingunt adversarij in sua solutione licet apparens sit, non tamen videtur propositæ difficultati satisfacere. Primo enim gratis dicunt non esse considerandam analogiam in statu abstractionis, quin potius oppositum verum esse videtur; nam sicut prædicata realia universalium, v.g. generis & speciei denominationem recipiunt potius ut abstracta quam ut contracta, ita etiam ut abstracta potius quam ut contracta analogia & univoca dicuntur à conceptu & nomine extrinsece denominante & aptitudinem æqualiter participandi tribuente; quod sic evidenter convincitur; nam res secundum se & ut præcisa ab omni operatione nostri intellectus id est minime concepta à nostro intellectu, vel separata ab omni nominis impositione non est formaliter analogica nec univoca, sed solum fundamentaliter, unde analogia & univocatio cuiuscumque rei tum solum est formaliter, quando est conceptus seu nomen analogum & univocum applicatum ad rem, & quatenus res illa tali conceptu formaliter representatur: tunc sic, conceptus ille abstractus non est formaliter analogus neque etiam obiectum formaliter, ut conceptui illi respondet.

O 2 cur

cum neque in conceptu formali formaliter, neque in obiecto obiective sit aliqua inaequalitas aut attributio; neque etiam ut illa entitas ut sic obiectiva consideratur in ordine ad inferiora, quia non consideratur nisi ut tribuat inferioribus illud esse praecisum, in quo nulla datur inaequalitas, unde adhuc prout respicit inferiora nullam dicit inaequalitatem, nec diversitatem pro ut formalissime cognoscitur & representatur per illud nomen ens, sed potius ut sic includit omnimodam identitatem & aequalissimam unitatem: ergo dicit absolutam univocationem: ergo ens formaliter sumptum formalissime est univocum & non analogum etiam ratione transcendentiae.

92 Secundo, quando solutio affirmat in ratione entis ut applicata & inclusa in differentiis esse diversitatem, vel illi gradui addit aliquid ab ipso virtute distinctum, quod sit extra rationem illius, vel non; si hoc secundo: ergo neque in ratione entis ut applicata est diversitas & inaequalitas: patet consequentia, quia Deus v. g. à creatura non differt per id quod est formaliter de ratione entis ut sic, quidquid enim est de ratione entis ut sic à quacumque creatura indivisibiliter & aequaliter participatur, quia in illa ratione, ut sic, ut *questione praecedenti* demonstravimus, nulla est diversitas & inaequalitas.

93 Si primum: ergo ratio entis, ut applicata, non solum dicit illam rationem, verum & ipsas differentias; atque adeo dum affirmant ens ut applicatum & ut inclusum in differentiis importare inaequalitatem & diversitatem, nihil aliud est quam dicere in ipsis differentiis esse inaequalitatem & analogiam physice inaequalitatis, atque adeo conceptum ad ipsas differentias actu terminatum, & quatenus quoad expressum distinguuntur ab ipsa ratione entis esse formaliter analogum, non autem conceptum terminatum ad rationem superiorem entis; unde solutio haec vel insufficiens est, vel intentum nobis concedit, nempe non posse esse analogiam; cum omnimoda entis praecisione.

94 Declaratur hoc in sententia Scoti, admittente rationem entis ex natura rei distinguui à differentiis; illa ratio univoca est & tamen ut applicata differentiis dicit diversitatem & inaequalitatem illarum; ergo non sufficit ad analogiam entis quod ipsum ut imbutum in differentiis dicat diversitatem ratione illarum.

95 Praeterea, quia ex hoc fit rationem entis & substantiae, non modo ut respicit Deum & creaturas, vel ut respicit accidens & substantiam, verum etiam ut respicit duos intellectus & etiam hominem & equum, & alias res independentes completas mutuo esse analogam, quod tamen est contra communem modum cognoscendi analogia, & contra veritatem est, quia ea quae sunt analogia unum est perfectius altero in ratione superiori, & unum habet rationem superiorem cum habitudine ad aliud: sed duo intellectus non participant rationem entis cum attributione & habitudine unius ad alium, & idem est in equo respectu hominis: ergo falsa est sententia Adversariorum. Sequela sic probatur, quia ens non minus transcendit hominem & equum quam substantiam & accidens, & non minus transcendit duos intellectus, quam Deum & creaturam, sed ratione solius transcendentiae ens est analogum respectu Dei & creaturarum, accidentis & substantiae: ergo ens erit analogum respectu hominis & equi & respe-

ctu duorum intellectuum: ergo est transcendens respectu illorum.

Dices verum esse quod ens sit transcendens, ac proinde quod sit analogum & non univocum respectu hominis & equi, & respectu duorum intellectuum.

Sed contra hoc est, id quod nuper diximus: 96 deinde quia si ens esset analogum respectu hominis & equi, etiam quodcumque aliud inferius praedicatum ente esset analogum; unde substantia, vivens, corpus & animal similiter essent analogia, quod est falsissimum, quia sunt genera respectu hominis & equi, ac proinde debent esse univoca & non analogia.

Sequela sic probatur, quia eo modo convenit 97 praedicatum inferius quo convenit praedicatum superius, v. g. ratio spiritus convenit univocum Angelis & Archangelis, quia convenit univocum illis ratio substantiae, & Petro & Paulo convenit univocum ratio hominis, quia univocum convenit illis ratio animalis: imo si inaequaliter & analogice conveniret illis ratio animalis, similiter analogice & inaequaliter conveniret ratio hominis; ratio autem à priori est, quia quicquid dicitur de superiori, dicitur de omni contento sub illo: unde si ratio superior est analogia respectu aliquorum, etiam ratio inferior illius erit analogia, quia constituitur à ratione superiori eo modo quo ratio superior est; ideo enim, qui ponunt analogiam respectu entis in Deo & in creaturis, ponit etiam analogiam inter Deum & creaturam, v. g. Angelum non solum in ratione entis, sed etiam in ratione substantiae intellectualis & spiritualis, quae sunt praedicata inferiora respectu entis ut sic; ergo si per vos ratio entis est analogia respectu hominis & equi, similiter erunt analogia reliqua praedicata inferiora entis ut sic, & superiora respectu hominis & equi, v. g. substantia, corpus, vivens & animal: sed nullo modo sunt analogia, sed potius univoca respectu hominis & equi, quia sunt genera respectu illorum: ergo similiter ratio entis erit univoca, & non analogia respectu eorumdem.

SUBSECTIO III.

Aliter oppugnatur solutio.

98 Via ex opposita sententia sequitur animal etiam esse analogum respectu leonis & elephantis: sed hoc est falsum & contra ipsos Adversarios: ergo solutio illa nullius est momenti. Sequela illa maioris sic patet, nam animal ut praecisum dicit unitatem simpliciter, & ut est contractum in inferioribus habet diversitatem, cum animal sit à parte rei idem cum rationale & irrationale, ita ut verum sit dicere de animali hominis quod sit rationale, & de animali equi quod sit brutum; sed rationale & brutum quatenus talia sunt diversa: ergo animal quod est idem realiter cum illis habebit diversitatem ut contractum: ergo est analogum. Patet consequentia à paritate rationis; nam ideo per vos ens est analogum, quia ut praecisum est unum, & ut contractum est diversum, ac proinde est partim idem & partim diversum, sed etiam animal ut praecisum est idem & ut contractum est diversum: ergo partim est idem & partim diversum: ergo est analogum sicut ens.

Dices

Quæst. III. Vtrum Transcendentia, &c. 109

99 Dices esse discrimen inter animal & ens nam licet verum sit quod animal quatenus est idem realiter cum differentiis, dicat diversitatem, nihilominus per rationem non dicit diversitatem, quia ex eo quod non sit transcendens distinguitur à differentiis quod non habet ens, quia ex eo quod invivatur in differentiis non distinguitur ab illis, ac proinde est omnino idem cum illis, & sic habet diversitatem quam ille: sed contra manifeste, quia licet ens invivatur in differentiis & in inferioribus quæ constituit essentialiter, nihilominus distinguitur saltem inadæquate per rationem ab illis, & ideo licet sit vera hæc prædicationis substantia est ens, perfectitas est ens, nihilominus hæc non est vera: ens est substantia, ens est perfectitas: unde per rationem falsa est illa propositio, quia ens de se neque est substantia, neque accidens, & in hoc assimilatur ens generi: quia ens universalis est substantia & perfectitate, ac proinde est indifferens respectu substantiæ & accidentis, sicut genus universalis est homine; & ideo est indifferens ad hominem & ad equum, & per consequens non est vera formalissime per rationem animal est homo, licet sit hæc vera homo est animal: sic similiter quia ens determinate non dicit perfectitatem sicut dicit perfectitatem determinate substantia, quia determinate substantia includit ens, & perfectitatem tanquam duos conceptus, vel omnino distinctos vel tanquam distinctos solum per maiorem & minorem expressionem.

100 Ergo si animal ex eo solum quod distinguitur per rationem à differentiis & ab inferioribus, non habet diversitatem quam illa habent, similiter ens cum distinguitur per rationem inadæquate à suis differentiis, sufficit ut sub tali conceptu formali, & nomine entis nullam dicat diversitatem, quia adhuc ut non attribuitur vni quod attribuitur alteri, non est necesse distinctio adæquata: sed sufficit quæcumque inadæquata, ut v.g. non solum est verum dicere, arbor non est homo propter distinctionem adæquatam, sed etiam propter inadæquatam est verum dicere, materia prima non est homo, ratione cuius sicut arbori non attribuitur proprietas hominis, ita similiter materiæ primæ non attribuitur proprietas hominis propter solum distinctionem inadæquatam, atque quia distinguitur inadæquate ex parte sui à differentiis non potest dici est perfectitas, sed potius negatur formalissime quod sit substantia vel perfectitas: ergo sufficit talis distinctio ut per rationem non attribuitur enti secundum se diversitas ipsius perfectitatis & inaleitatis: ergo ens secundum se licet transcendat differentias, quando præcenditur ab illis, solum habebit unitatem simpliciter & non habebit diversitatem: ergo erit univocum etiam si sit transcendens.

101 Amplius vergetur, quia si sola transcendentia tribueret enti diversitatem quam habent differentia in quibus includitur, neque distinctio quam habet, quia inadæquata est, à differentiis tolleret diversitatem ab ente, similiter animal haberet diversitatem, non quia includeretur in differentiis, sed quia includitur in homine & equo essentialiter qui habent diversitatem, & à quibus solum inadæquate distinguitur animal, nam ad hoc ut in aliquod refundatur diversitas, si tota ratio talis refusionis est inclusio essentialis sine distinctione adæquata ab includentibus diversis, non est necesse ut includatur in omnibus diversis, sed

sufficit inclusio in aliquibus diversis sine distinctione adæquata, in quo casu saltem ab illis diversis in quibus includitur, erit diversum illud inclusum, seu habebit diversitatem tale inclusum, licet ab omnibus non accipiat, quia in omnibus non includitur, sed animal nullam diversitatem accipit secundum se ab homine, equo, & leone, qui habent diversitatem essentialem ex eo quod sit præcisum simpliciter ab illis, ratione distinctionis inadæquate, quam habet respectu illarum specierum: ergo similiter ratio entis secundum se præcisum à differentiis simpliciter ratione distinctionis inadæquate, nullam habebit diversitatem ab ipsis differentiis, etiam si alias includatur in illis & constituat illas essentialiter, quia non est maior ratio, quare ens accipiat diversitatem ab includentibus diversis illud, & animal non habeat diversitatem à diversis includentibus similiter illud.

Hæc totum efficaciter vergetur in sententia Patris Hurt, quia ratio superior animalis, ut ipse ait, quæ est obiectum conceptus universalis, & ratio inferior seu differentialis obiective, seu ex parte obiecti non distinguitur adhuc per rationem, sed sunt idem omnino obiectum, ita ut ex parte obiecti non correspondeat aliud & aliud obiectum, quia hicaute nullam præcisionem obiectivam cognoscit ex parte rerum, unde illud omnino quod denominatur animal, denominatur rationale homo & Petrus per diversos conceptus formales, sicut idem lac denominatur amatum ab amore, & cognitum à cognitione, album ab albedine & à dulcore dulces; non enim est vna formalitas quæ denominatur alba, & alia quæ appellatur dulcis, sic P. Hurtado in metaphysica, disputatio 5, sect. 10. ex quibus evidenter colligitur, animal rationale, homo, & Petrus eodem modo distingui ac ens à perfectitate, & substantia, quia illa omnia nullo modo obiective, sed tantum ex parte conceptus formalis distinguit hic author, unde eodem modo se habent animal respectu suorum inferiorum, sicut ens respectu suorum, quia sicut ens solum distinguitur à suis inferioribus non obiective sed per conceptus formales magis & minus expressos, ita etiam animal solum distinguitur à rationalitate & irrationalitate, non ex parte obiecti sed solum per conceptus formales magis & minus expressos: ergo animal eadem distinctione inadæquata ac ens & non adæquata distinguitur à suis inferioribus & differentiis eorundem, imo & eodem modo imbibetur in inferioribus & differentiis ex parte obiecti animal, ac ens, cum deatur omnimoda identitas ex parte illius, quia tota illa ratio imbibitionis & distinctionis inadæquate, seu transcendentia in ente respectu suorum inferiorum est, quia ens obiective adhuc per rationem non distinguitur à suis inferioribus & differentiis, sed hæc omnimoda identitas & non distinctio obiectiva reperitur in animali respectu differentiarum, ac proinde transcendentia reperitur in ipso: ergo si sola transcendentia & omnimoda identitas obiectiva in ente cum differentiis constituit ens analogum, similis identitas & transcendentia quæ reperitur in animali respectu differentiarum constituet animal in esse analogi, & tollit univocationem ab ipso, sed falsum est dicere quod animal non sit univocum etiam si habeat omnimodam identitatem cum differentiis & inferioribus ex parte obiecti: ergo falsum est dicere ens non esse univocum ratione talis transcendentia.

endentia & omnimoda identitatis cum differentijs ex parte obiecti.

Dices aliter se habere ens respectu differentiarum ac se habet animal respectu illarum.

- 103 Sed contra manifeste, quia vel hæc differentia est inter ens, & differentias obiective sumptas, vel ex parte conceptus formalis, sed neque ex vna, neque ex altera parte datur discrimen inter ens & animal in ordine ad differentias: ergo falsa est solutio. Maior est certa, quia quidquid est in ente aut est formale ex parte cognitionis, aut est ex parte obiecti ipsius cognitionis, vt de se pater, nihil enim præter hæc reperitur in ente vt ex ipsis terminis liquet.

Minor in qua est difficultas sic demonstratur, quia si ens & differentia sumantur ex parte cognitionum, distinguuntur non solum per rationem inadæquate aut adæquate, sed etiam distinguuntur realiter adæquate, quia cognitio terminata ad ens, & cognitio terminata ad differentias realiter distinguuntur vt *questionibus sequentibus* late demonstrabitur.

- 104 Si autem sumantur ens & differentia ex parte obiecti, nulla datur distinctio neque realis neque rationis, quia nulla datur præcisio obiectiva adhuc per rationem inter ens & differentias, sed etiam similiter si animal & rationale, aut irrationale attendantur ex parte conceptuum formalium distinguuntur realiter adæquate, sicut conceptus formales entis & differentiarum, si autem sumantur obiective ens, rationale, irrationale & animal nullomodo distinguuntur, quia nulla datur præcisio obiectiva, ac proinde datur omnimoda identitas inter illas adhuc per rationem, sicut inter ens, perfectiorem &c. ergo eodem modo se habet animal respectu differentiarum tam obiective quam formaliter, sicut ens respectu suarum differentiarum: ergo falsum est dicere dari discrimen inter ens comparatum cum differentijs, & inter animal comparatum cum rationali, & irrationali: ergo si animal nullo modo est analogum, sed omnino univocum, similiter animal ens erit omnino univocum & non analogum.

Vrgetur principaliter conclusio, si fundamentum Adversariorum esset verum, & equivocum esset analogum, sed hoc est absurdum, quod negant adversarij, ergo &c. probatur maior, equivoca essent partim diversa, & partim eadem: ergo essent analogi. Probatur antecedens, equivoca vt significantur hoc nomine canis v. g. sunt diversa, sed quatenus significantur hoc nomine substantia sunt eadem: ergo equivoca essent partim eadem & partim diversa. Probatur maior, ideo secundum Adversarios ens est analogum, quia quatenus significatur per nomen ens, est idem & per nomen substantia est diversum: ergo vt aliqua sint analogi sufficit quod vt significantur per diversa nomina sint partim eadem, & partim diversa.

- 105 Dices, quod est diversa ratio in equivocis ac in analogis transcendentibus, quia nomina diversa significant eundem conceptum transcendentem, saltem inadæquate; nam idem conceptus entis significatur per nomen ens & per nomen substantia, in equivocis autem per diversa nomina non significatur idem conceptus, sed diversi.

- 106 Sed contra & meo videri satis efficaciter contra, Hurt. nomen canis in sententia Hurt. significat expresse, & formaliter animal latrabile, & etiam significat expresse substantiam, & idem no-

men substantia significat eandem substantiam, sed substantia significata per nomen canis & per nomen substantia est idem conceptus inadæquate: ergo in equivocis per diversa nomina significatur idem conceptus saltem inadæquate. Probatur minor, quia ratio superior & species sunt idem conceptus inadæquate, quia tantum inadæquate distinguuntur: ergo nomen significans speciem & significans rationem genericam, significant eundem conceptum inadæquate; sed nomen canis & nomen substantia significant rationem genericam & speciem: ergo significant eundem conceptum inadæquate: ergo equivoca sunt analogi, quia provt significata per diversa nomina sunt partim eadem & partim diversa: ergo nullum datur nomen equivocum.

SVBSECTIO IV.

Aliud argumentum principale ponitur.

Quia essentia divina licet transcendat divinas relationes (nam ultimum Paternitatis non est ens creatum sed increatum & independens: ergo Deus est ratione cuius definitum est in Ecclesia contra Gilbertum Porretanum: quidquid in Deo est Deum esse) & divinarum relationes dicant multitudinem & diversitatem, nihilominus divina essentia vt talis, & secundum conceptum divinæ essentia, semper est eadem vna sine aliqua diversitate & multiplicitate, ergo licet ens vt sic quod in se vt præsum est simpliciter vnum transcendat differentias habentes diversitatem inter se, nihilominus ipsum ens vt ens, & sub conceptu expresso entis non dicet diversitatem, sed unitatem quam ex se habet: consequentia patet à paritate rationis, quia non est maior ratio quare divina essentia ratione transcendentia in relationibus distinctis, & differentibus non habeat diversitatem ab illis, & habeat illam ens à differentijs in quibus imbibitur.

Deinde quia quando datur aliqua forma vel quasi forma in aliquibus subiectis capacibus talis formæ, effectus primarius resultans in vno subiecto necessario resultat in alio, unde si existente in aliquo subiecto capaci forma non resultat effectus primarius illius, evidenter sequitur talem effectum non oriri à tali forma, v. g. quia videmus in sacaro esse dulce, vbi existit albedo, & in signo aut parietis, vbi datur albedo, non dari dulce, evidenter colligimus dulce non esse effectum primarium albedinis, neque dulcorem aut dulce esse provenire ab albedine, sed videmus in Deo aut in divina essentia transcendentiam respectu diversarum & distinctarum relationum, & nihilominus ex vi talis transcendentia nihil diversitatis refunditur in divinam essentiam: ergo evidenter sequitur transcendentiam, quæ connaturaliter datur in ente nullam causare in ipso diversitatem, quia licet transcendat illas, transcendit ipsas per modum formæ metaphysicæ, quæ ex eo quod talis est (vt supra demonstravimus) nullo modo potest formaliter diversificari à differentijs, quæ sunt quasi subiectum talis formæ; forma enim constituitur à subiecto, sed e contra.

Deinde quia licet ens transcendat differentias, non est in differentijs expresse, sed confuse; differentia autem confusa unitatem habent, & solum differentia quoad expresse habent diversitatem.

Quæst. III. Vtrum Transcendentia, &c. III

tem, unde cum ens solum in confuso sit in illis, idco non amittit suam unitatem, quia non identificatur cum differentiis, quoad expressum, in quibus solum ut sic reperitur diversitas, ratio autem magis à priori est, quia impossibile est quod aliqua ratio etiam si sit transcendens, non sit univoca, & quod sit omnino eadem sine aliqua diversitate ex parte sui, sed ratio entis etiam licet transcendat, dum tamen sit simpliciter præcisa, quatenus talis ex parte sui, & quatenus quoad explicitum distinguitur ab inferioribus & à differentiis, est omnino sine aliqua diversitate in suo esse, & ex parte sui: ergo est simpliciter univoca. Maior iam supra longè lateque demonstrata manet: minor etiam patet ex dictis *quæstione superiori*; nam licet ens transcendat differentias, differentia non sunt in ente: ergo non possunt diversificari ipsum ens, imo quando ens præcinditur à differentiis, destruuntur differentia, sicut quando separatur anima ab homine, qui constituitur essentialiter ab illa destruitur homo: sed ens constituit essentialiter differentias: ergo quando ens præcinditur simpliciter ab illis, illæ destruuntur & non sunt: ergo non possunt diversificari ipsum ens, quia quod non est nihil potest facere, quia non entis nullæ sunt qualitates, ut est certissimum axioma iurisperitorum.

Nec valet dicere divinitatem non transcendere divinas relationes; ac proinde non accipere diversitatem ab illis, quia oppositum sentit Hurt. cum quo pugnamus.

108 Deinde, quia licet divina essentia non includatur essentialiter in divinis relationibus distinctis inter se, & diversis realiter ex eo quod non constituat illas essentialiter, nihilominus tamen includitur in divinis personis, quia constituit illas essentialiter. Pater enim essentialiter est Deus, sicut Filius est essentialiter Deus; sed hæc divinarum personarum eodem modo distinguuntur inter se & diversificantur sicut ipsæ divinarum relationes, quia sicut paternitas differt & distinguitur realiter à filiatione, ita pater realiter differt & distinguitur à filio; sed licet transcendat personas divinas & includatur in illis essentialiter, nihil accipit divinitas diversitatis à diversitate earum; ergo similiter licet transscenderet divinas relationes cum non transscenderetur ab ipsis, neque constitueretur ab illis essentialiter propter rationes dictas, nihil diversitatis acciperet, neque distinctionis realis à diversitate & distinctione realium relationum, sicut nihil diversitatis & distinctionis accipit à distinctione & diversitate divinarum personarum quas transcendit & in quibus includitur, quia non est maior ratio unius quam alterius, ut patet ex dictis.

109 Vergetur amplius, quia ens ut sic & substantia ut sic, transcendunt divinas relationes, quia tales relationes quatenus tales, sunt vera entia à parte rei & veræ substantiæ, & nihilominus ens & substantia non sunt analogæ, sed univocæ, neque habent diversitatem, sed potius non obstant transscendentia, manent cum omnimoda unitate, & æqualitate: ergo transscendentia in ente etiam comparatur respectu Dei & creaturarum, non tollit univocationem nec causat analogiam, quod autem ens & substantia non sint analogæ respectu divinarum relationum, & adversarij concedunt, & ratio est manifesta quia semper inter analogata datur unum quod sit præcipuum

& excedat imperfectione cætera, & per attributionem ad illud cætera dicuntur talia, v. g. quia in vestra sententia ens est analogum respectu Dei & creaturarum, inter Deum & creaturas quæ analogata dicuntur, Deus est principaliter analogatum quod est maius perfectius & inæquale analogatum respectu creaturarum, sed inter divinas personas nulla est maior altera, neque sunt inæquales sed omnes sunt personæ coequales, ut patet ex Symbolo Athanasij ibi: *Sed Pater & Filius & Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coeterna maiestas; & in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ æternæ sibi sunt & coequales*; neque persona Filij est per attributionem ad Patrem, licet referatur ad illum, sicut neque Pater est per attributionem ad filium, licet referatur ad illum: ergo tres divinarum personæ non sunt analogata respectu entis & substantiæ, ac proinde ens & substantia licet transscendant divinas relationes non sunt analogæ sed univocæ; ergo transscendentia non tollit univocationem ab ente, nec causat analogiam in illo.

Respondet Hurt. quod ens quatenus transscendit relationes divinas sicut quodlibet aliud quodcumque prædicatum non est analogum, quia ens si transscendat nullam dicit inæqualitatem, quia relationes divinarum non sunt inæquales, & ideo ens pro ut contractum & transscendens ipsas relationes divinas, non est inæquale sibi; verò quatenus ens transscendit res omnes creatas, v. g. ens quatenus transscendit Petrum & Paulum, est inæquale sibi, quia Petrus & Paulus sunt inæquales in suis differentiis.

Sed contra primo, quia definitio analogorum non dicit quod ratio significata sit æqualis, & inæqualis, sed tantum quod sit partim eadem & partim diversa, atqui ens, quatenus transscendit divinas relationes est partim idem & partim diversum: ergo est analogum. Maior est certissima & ante probationem illius suppono quod omnis definitio in qua ponitur aliqua differentia debet poni terminus non communis pluribus ut differentia, sed terminus qui solum conveniat rei, quæ definitur, quia differentia est propriissima definiti, sed hic terminus partim diversus, & partim idem est differentia quæ ponitur in definitione analogi: ergo non poterit convenire alijs quæ non sunt analogæ, & si illis convenit necessario erunt analogæ, sed hic terminus partim diversus & partim idem convenit enti comparato ad relationes divinas: ergo ens comparatum ad relationes divinas est analogum secundum vestra principia; maior est evidens: ideo rationale non potest convenire bruto: quia rationale est differentia ultima hominis & cuicumque convenit rationale, est homo. Minor etiam est evidens, quia relationes divinarum sunt diversæ, sed per vos quotiescumque ens transscendit differentias diversas est partim idem & partim diversum, sicut quia transscendit differentias inæquales est æquale & inæquale: ergo ens quod transscendit personalitates divinas distinctas, & diversas inter se provt præcisum, erit idem & provt contractum diversum: ergo ens comparatione relationum divinarum habet differentiam analogi: ergo est analogum, vel si terminus partim diversus & partim idem, est communis nomini analogo, & non analogo: ergo ut ponatur in definitione analogi ut differentia, debet poni

poni expresse ratio formalis differentialis, sed ponitur terminus partim diversus: ergo vel terminus partim diversus exprimit differentiam analogorum à non analogis, vel est mala definitio analogorum; quia non ponitur in illa expresse differentia: sed hoc secundum est falsum, ut asserunt omnes Doctores & ipse Hurt. qui admittunt illam definitionem ut bonam: ergo ille terminus partim diversus, est nomen analogum. Patet consequentia, cuiusque convenit aliqua differentia ultima alicuius speciei, convenit essentia illius speciei, sed terminus partim diversus est differentia ultima nominis analogi: ergo cuiusque convenit illa particula, convenit essentia nominis analogi. Maiorem late probavi in *Logica*, disp. 1. q. 5. sect. 2. argumento 2. pro nostra conclusione minor est etiam probata: consequentia legitime inferitur. Tunc sic arguentor, hæc differentia partim diversa convenit enti transcendenti divinas relationes: sed cuiusque convenit hæc differentia, partim diversa est analogum: ergo ens est analogum comparatione divinarum personarum.

112 Conferatur, enti transcendenti divinas personas non convenit definitio univocorum, nec equivocorum: ergo convenit definitio analogorum: antecedens quantum ad primam partem est evidens, nam nomen ens non est equivocum comparatione divinarum personarum, ut concedunt omnes Doctores Theologi; patet idem antecedens quantum ad secundam partem, nomen univocum est quod significat rationem omnino eandem, & non partim eandem & partim diversam, sed nomen ens comparatum ad divinas relationes non significat rationem omnino eandem: ergo non est nomen univocum. Maior est definitio nominis univoci, quæ colligitur evidenter ex definitione univocorum. Probatur minor, ens provt abstractum est omnino idem, sed provt contractum ad divinas relationes est diversum, quia divinarum relationes sunt diversa inter se: ergo ens quod transcendit ipsas relationes est diversum, quia ipsæ relationes divinarum diversificantur per conceptum entis ut asserit Hurt. de omnibus rationibus transcessis ab ente: ergo enti transcendenti divinas relationes non convenit definitio univoci: ergo convenit definitio analogi. Patet consequentia: omne nomen aut est univocum, aut equivocum aut analogum, sed nomen ens provt significat conceptum transcendente divinas relationes non est univocum, neque equivocum: ergo est analogum. Maior est evidens, vel assignent Adversarij quodnam sit aliud nomen præter tria assignata. Minor est iam probata: consequentia legitime inferitur, & est contra omnes Doctores: ergo datur aliquis terminus transcendens, qui non sit analogus: ergo transcendentia præ se habet transcendencia est, non est causa alicuius analogiæ.

113 Secundo impugnatur eadem solutio & meo videri evidenter, Pater Hurt. præcipue quantum ad illam partem, in qua asserit ens esse analogum respectu Petri & Pauli, ens comparatum ad Petrum & Paulum non potest esse æquale & inæquale: ergo non est analogum respectu illorum: consequentia est evidens, quia apud P. Hurt. ut vidimus, ens est analogum in quantum est æquale & inæquale. Probatur antecedens, ens comparatione Petri & Pauli nec ratione sui, nec ratione divinarum potest esse inæquale: ergo, &c.

Probatur antecedens, & imprimis non ratione sui, ut aperte concedit Hurt. nec ratione divinarum in quibus includitur per duo individua eiusdem speciei, non possunt esse æqualia & inæqualia, sed Petrus & Paulus sunt individua eiusdem speciei, & sunt æqualia: ergo non possunt esse inæqualia. Maiorem late probat Hurt. *disp. 2. de anima*, sect. 7. subsect. 4. & nixus hoc fundamento asserit individua eiusdem speciei debere esse omnino similia & æqualia in perfectione: minor est evidens quantum ad primam partem, & quantum ad secundam partem probatur ab eodem. Hurt. *loco citato*: ergo ratio entis comparatione Petri & Pauli non potest esse æqualis & inæqualis. Patet consequentia. Tunc ratio entis æqualis est & inæqualis quando includitur in diversis inæqualitatibus, sed differentia respectu Petri & Pauli secundum Hurt. & veritatem non sunt inæquales: ergo ratio entis ex vi differentiarum non potest esse inæqualis.

114 Confirmatur, si ratio entis esset æqualis & inæqualis respectu Petri & Pauli, Petrus & Paulus essent æquales in ratione entis & inæquales in suis differentiis substantialibus, quia in tantum est ens inæquale respectu Petri & Pauli, ut asserit Hurt. *disputatione citata in Logica*, §. 109. in quantum ratio entis est idem cum differentiis, sed illæ differentia sunt omnino æquales, vel Hurt. in *Logica* opponitur sibi ipsi in *disputatione citata de Anima*: ergo ratio entis nullo modo est inæqualis respectu Petri & Pauli: ergo vel non est analogum vel si est analogum, ratio quæcumque transcendens etiam non sit inæqualis potest esse analogum: ergo ratio entis comparata ad divinas relationes est analogum, quia est transcendens. Deinde impugnatur eadem solutio Hurt. in quantum asserit rationem entis esse æqualem & inæqualem sibi: implicat quod idem respectu eiusdem sit æquale & inæquale, ut probat Hurt. *loco citato de anima*, sed conceptus entis provt abstractus & contractus est idem formalissime secundum Hurt. sine aliqua distinctione: ergo non potest esse æqualis & inæqualis sibi: ergo ens non est analogum ad Deum & creaturas. Patet ultima consequentia, in tantum esset ens analogum ad Deum & creaturas in quantum esset æquale & inæquale, simile & dissimile sibi, sed ens non potest esse æquale & inæquale, simile & dissimile sibi ipsi: ergo non potest esse analogum.

115 Vrgetur amplius, quia etiam si supponamus differentias individuales Petri & Pauli esse inæquales, ratione cuius ens omnino identificatum cum illis habeat inæqualitatem quæ causet analogiam, nihilominus duæ aquæ, quæ sunt entia homogenea eiusdem speciei & omnino similia, tam quoad essentiam, quam quoad differentias individuales nullam habent inæqualitatem, neque in differentiis specificis, quia sunt eiusdem speciei, neque in differentiis individualibus, quia sunt omnino similes in illis differentiis propter homogenitatem illarum: ergo ens quod transcendit duas aquas nullam habet inæqualitatem aut dissimilitudinem ratione differentiarum: ergo non est analogum ens respectu illarum; unde transcendentia ex se non causabit analogiam, quia si causaret illam ubique reperiretur causaret ipsam: sed reperitur in ente respectu duarum aquarum, & nihilominus non constituit analogum respectu illarum: ergo secundum se transcendentia

Quaest. III: Virum Transcendentia, &c. 113

scendentia non causat analogiam, si autem dicat
ens respectu duarum aquarum, esse analogum
solum propter transcendentiam etiam si nullam
habeat inaequalitatem a differentijs, quia illa
nullam inter se habent inaequalitatem.

116 Ergo etiam ens respectu divinarum relationum
quia transcendit ipsas erit analogum: sed ens &
substantia licet transcendat relationes divinas,
quae diversae sunt & dicunt multitudinem, nihi-
lominus in se ipsis sunt rationes univocae sim-
pliciter cum summa unitate sine eo quod parti-
cipent diversitatem & multitudinem a divinis
relationibus; nam si illam participarent, non
essent univocae, ut diximus, & ratio quare non
participant illam, est, quia licet illa ratio supe-
rior transcendat relationes, nihilominus ipsae
relationes sunt inferiores substantia ut sic, &
ente ut sic & inferiora: ex eo quod sint extra ra-
tionem superioris non constituunt rationes su-
periores, neque in ratione unius, neque in ratio-
ne diversae: ergo licet ens transcendat differen-
tias, quae habent inaequalitatem quatenus diffe-
rentiae ens non participabit illam inaequalita-
tem, quia ens est ratio superior respectu diffe-
rentiarum inaequalium, & ratio superior ut di-
ximus nihil accipit ab inferioribus, neque diver-
sitas, neque inaequalitatem propter rationem di-
ctam, quia si acciperet aliquid ab illis, v.g. inae-
qualitatem etiam acciperet diversitatem ab illis,
quia non est maior ratio unius, quam alterius,
praecipue quia si reciperet inaequalitatem, esset
quia differentiae sunt inaequales & ens habet
transcendentiam respectu illarum, sed etiam ens
transcendit differentias habentes diversitatem:
ergo accipit diversitatem ab illis (magis imme-
diate oppositam univocationi, & magis proprie
constitutivam analogiae, quam inaequalitatem,
quia illa expresse petitur ex vi definitionis ana-
logorum, ubi dicitur, ratio vero substantiae par-
tim eadem & partim diversa, ista vero non, si-
quidem nulla mentio fit aequalitatis vel inaequa-
litas in definitione analogorum) sed licet des-
cendat transcendentia, nihilominus ratio superior
quia non constituitur a differentijs, eo quod sint
extra rationem superioris, non accipit diversita-
tem ab illis ne constitutur ab eisdem: ergo si-
militer licet ens transcendat differentias inaequa-
les non recipiet inaequalitatem ab eis, quia ipsae
differentiae inferiores sunt extra rationem entis.
Pater consequentia, quia ubi est eadem ratio
formalis est idem effectus vel quasi effectus for-
malis: sed tota ratio propter quam diversae diffe-
rentiae relationum divinarum non refundunt
diversitatem quam habent in ens, est quia ens est
superius ipsis, & ipsae quatenus inferiores non
constituunt rationem superiorem quia sunt ex-
tra rationem illius praecipue quia est praecisa
simpliciter ab illis, sed etiam in ente transcen-
dente differentias inaequales datur eadem ratio
formalis simpliciter praecisionis & superiorita-
tis, & in differentijs inaequalibus datur eadem
ratio inferioritatis non constitutionis rationis
entis, quia sunt extra rationem superioris: ergo
datur idem effectus vel quasi effectus forma-
lis non accipiendi videlicet inaequalitatem ab
illis.

117 Confirmatur, omnis ratio, siue sit univoca
siue sit analogica, debet esse talis quatenus uno
conceptu formali & uno nomine significatur cum
hoc discrimine, ut analogum per illum ipsum
R.P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

conceptum partim idem & partim diversum, &
secundum vos partim equale & partim inaequale
in se ipso representatur: univocum autem om-
nino idem sine ulla inaequalitate: sed ens qua-
tenus significatur per unum conceptum forma-
lem exprimentem habens esse, vel per unum no-
men representans non repugnans existere, signi-
ficatur sine aliqua diversitate: ergo est univocum
& non analogum, etiam si alias transcendat diffe-
rentias. Minor sic probatur, quia hic conceptus
expressus tantum representat habere essentiam
& non diversitatem aut inaequalitatem habendi
illam, sed omnimodam convenientiam omnium
inferiorum in habendo esse, quia significatur per
hunc conceptum ratio quaedam, quae omnibus
rebus eodem modo praedicatur, diversitas autem
& inaequalitas non potest de omnibus eodem
modo praedicari, quia diversitas semper oritur
in aliquo subiecto a differentia constituyente il-
lud, v.g. homo est differens ab equo & inaequa-
lis ipsi, quia constituitur per rationale tanquam
per differentiam superiorem & inaequalem exi-
stentem in homine formaliter & inclusam for-
maliter in ipso: sed ens etiam si transcendat diffe-
rentias non constituitur formaliter ab ipsis,
neque includit ipsas ac proinde ipsae non exi-
stunt formaliter in ente, quia est simpliciter praeci-
sum ab illis: ergo licet transcendat differen-
tias, neque habet inaequalitatem ab ipsis, neque
diversitatem; sed potius est unum & idem sim-
pliciter, ergo transcendentia non tollit univo-
cationem ab ente supposita praecisione simpli-
citer.

Maiores illa prima est clara, quia si analogum
per diversos conceptus & diversa nomina signi-
ficatur, non erit analogum, v.g. amicitia prae &
visus hominis sub his duobus conceptibus non
sunt analogica usque dum significantur eodem
conceptu seu nomine risus, ita ut identitas &
diversitas quae in analogo datur non per varia
nomina & varios conceptus significetur, & idem
est de univocis: ergo omnis ratio siue sit univo-
ca siue analogica debet esse talis quatenus uno
conceptu formali significatur: ergo si ens signi-
ficatur per haec nomina substantia & accidens
cum sint varia nomina non significabitur ut
analogum: ergo tantum quatenus ens per unum
conceptum formalem & nomen significatur ut
partim idem, & partim diversum erit vere ana-
logum, sed per hunc conceptum & per hoc no-
men ens, & quatenus subest illis & per illa re-
presentatur ut ratio superior respectu accidentis
& substantiae, non significatur ut partim idem
& partim diversum, sed potius ut omnino idem
indivisibiliter, ut patet ex dictis: ergo ut sic &
sub hoc nomine entis, & sub conceptu formali
praescindente rationem essendi non erit analo-
gum, sed univocum, licet quatenus per particu-
laria nomina accidentis & substantiae significetur
diversitas, quia ut sic non est ens formaliter &
expresse, sed inferiora entis, & non est analo-
gum sed analogata physicae inaequalitatis, quod
evidenter patet, nam ratio analogica ut analo-
gica entis est superior respectu accidentis & sub-
stantiae, & participatur ab illis & in suo posse
non constituitur ab ipsis; imo inferiora per il-
lam constituuntur metaphysice, sed accidens &
substantia ut sic expresse non sunt ratio supe-
rior respectu accidentis & substantiae: ergo ac-
cidens & substantia quatenus his conceptibus
p expfi


exprimuntur, non sunt ratio superior analogæ; sed analogata physice, sed ut sic non possunt dare diversitatem rationi superiori nec inæqualitatem, & sic ratio superior nihil accipit ab inferioribus tollens univocationem, alias nihil erit univocum: ergo.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

119 **A**D argumenta, ad primum conceditur maior & negatur minor, ad probationem negatur maior propositio, & etiam licet esset eadem cum non significaretur per idem nomen non esset analogæ.

Ad secundum concedo maiorem & minorem, & nego consequentiam, quia licet ens identificetur cum differentiis a parte rei formalissime, nihilominus per intellectum distinguitur inadæquate à differentiis tanquam ratio superior ab inferioribus, ac proinde nullam diversitatem accipit ab illis, ut patet ex late dictis in probatione nostræ conclusionis: ad confirmationem negatur antecedens, quia etiam licet esset transcendens animal esset univocum & non analogum.



QVÆSTIO IV.

Utrum dependentia causet analogiam.

SECTIO I.

Adversaria sententia proponitur.

1 **P**RIMA sententia asserit dependentiam unius inferioris entis ab alio causare analogiam in ratione superiori entis, sic Gaetanus opusculo de ente & de essentia. Pater Suarez in metaphysica, tom. 2. disp. 28. sect. 3. Pater Vasquez 1. part. & multi alij.

2 Probatur primo, quia dependentia unius ab alio constituit inæqualitatem in ratione communi abstracta, in qua inferiora conveniunt, sed inæqualitas in ratione communi est analogia: ergo dependentia unius ab alio causat analogiam. Maior sic probatur, ratio communis respicit inferiora, quia est per ordinem ad illa, sed illa respicit ut sunt in se ipsis: ergo ea respicit cum eadem dependentia quam inferiora habent inter se ipsa: sed ea quæ dependent habent inæqualitatem in ea ratione qua datur dependentia: ergo.

3 Secundo probatur ratione divi Thomæ, qua probat inter Deum & creaturam dari analogiam, quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen utrique commune non dicitur univocè, sed analogicè de illis: atqui creaturæ sunt effectus Dei & non adæquat virtutem eius: ergo nomen ens commune Deo & creaturis non dicitur univocè de illis, sed analogicè: probatur maior, quando effectus non adæquat virtutem causæ non recipit similitudinem eius secundum eandem omnino rationem: ergo nec potest habere nomen commune secundum eandem rationem: ergo est nomen analogum. Patet vltima consequentia,

illud est nomen analogum quod non est commune pluribus secundum eandem rationem, sed nomen ens non est commune Deo & creaturis secundum eandem rationem: ergo est analogum.

Et si dicas, quod effectus, qui non adæquat virtutem causæ id habet non secundum rationem communem in qua conveniunt effectus, & causæ, sed secundum rationem principalem & propriam effectus, quod non tollit univocationem, ut patet in omni causæ æquivocæ, quæ potest univocè convenire cum suis effectibus in aliqua ratione communi, quia illa inadæquatio tantum est secundum rationes specificas causæ & effectus, v. g. sol est causæ æquivocæ ignis, auri, & aliorum corporum inferiorum, sed sol, aurum, & ignis conveniunt univocè in ratione substantiæ corporis, &c. ergo bene potest causæ æquivocæ convenire univocè cum suo effectui.

Sed contra, quia quando effectus procedit à causæ non solum secundum rationem principalem, sed etiam secundum rationem communem significatam per nomen commune causæ, & effectui, & in illa non adæquat causam, habent dissimilitudinem non solum in ratione principali, sed etiam in ratione communi: sed creatura procedit à Deo non solum secundum rationem principalem, sed etiam secundum rationem communem entis existentis in creatura, & in illa non adæquat perfectionem Dei: ergo creatura non solum habet dissimilitudinem cum Deo secundum rationem principalem creaturæ, sed etiam secundum rationem communem entis. Maior est certa & probatur ex discrimine quod datur inter Deum & alias causas æquivocas, quia illæ causæ tantum causant per se rationes principales effectuum & non rationem communem, illa enim supponitur ad ipsos effectus, & sic tantum causatur per accidens, quia ut asserit Aristoteles, effectus non causatur per se secundum illam rationem quæ supponitur ex parte subiecti: sed secundum illam quæ non supponitur, v. g. quando ex aère fit ignis non producit per se ratio elementi, quia illa supponebatur ex parte subiecti, sed tantum producit per se ratio talis elementi, quæ non supponebatur ex parte subiecti, sed omne ens creatum producit suum effectum ex præsupposito subiecto in quo præcedit ratio entis, substantiæ, &c. ergo ratio entis & substantiæ non producit per se à causæ creatæ æquivocæ. Tunc sic, Deus à contrario sensu producit per se in creatura non solum rationem entis particularis secundum rationem particularem, sed etiam rationem entis communis in quantum ens est, & quia non præsupponitur ex parte subiecti cum Deus producat ex nihilo, & in illa ratione creatura non adæquat Deum: ergo creatura non solum est dissimilis Deo secundum rationem particularem, sed etiam secundum rationem communem entis, & in quantum ens est. Probatur antecedens, & est etiam minor præcipua ens existens in creatura, est ens dependens: ergo producit à Deo. Patet consequentia, omne illud quod est dependens reale producit à Deo: sed ens existens in creatura est reale dependens: ergo producit à Deo.

Et si neges quod ens existens in creatura dependet, contra est: ergo ens existens in creatura non dependet: ergo est à se & per consequens Deus. Patet consequentia, illud quod est ens & non dependet, est à se; ideo Deus est à se quia est ens non dependens.